



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SUA INITIA** TEMPLUM SANCTO MICHAELI ARCHANGELO  
DICATUM IN DIOECESI ALTUNENSI-IOHNSTONIENSI

AD GRADUM DIGNITATEMQUE BASILICAES MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Sua initia faustaque  
prorsus primordia respiciens veneratur iam duo saecula communitas Lauretana in Altunensi-Iohnstoniensi dioecesi suum  
quendam quasi patrem ac proprium conditorem ipsum presbyterum Demetrium Augustinum Gallitzin qui missionalis fere  
excursoris studio motus alienigena ibidem primum excitavit fidei Catholicae locum ac templum ibidemque quadraginta  
operatus est fructuosissime annos ibidemque hodie tumulatus publice honoratur. Aedificatio idcirco sacra, Sancto  
Michaëli Archangelo dedicata, quae eodem ipso sublimis tollitur in loco, non tantum sedes praecipua vitae industriae  
Catholicae ducentos annos habita est totius regionis illius verum hodie quoque commemoratae dioecesis veluti cor atque  
centrum communiter aestimatur. Rem proinde maxime quidem congruam et templi dignitati convenientem effecit  
Venerabilis Frater Iosephus Victor Adamec, Praesul ipse Altunensis-Iohnstoniensis, cum ab hac suo tempore postularet  
Sede Apostolica ut illa aedes titulo exornaretur decoreque Basilicae Minoris. Gratulantes autem Nos de universo hoc  
incepto libenterque simul ea singula confirmantes, quae in hanc sententiam Congregatio de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum iam legitime constituit, Apostolica Nostra usi potestate sacrarium S. Michaëli Archangelo devotum  
Altunensis-Iohnstoniensis dioecesis apud «Loretto» in numero recensemus esseque iubemus Basilicarum Minorum in  
Ecclesia Catholica, iuribus ei nimirum cunctis additis necnon privilegiis huic rei respondentibus. Servari tamen volumus  
decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris foras emissum anno MCMLXXXIX. Contrariis  
quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis  
Septembris, anno Domini MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo. ANGELUS card. SODANO*  
*Secretarius Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana*